

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE

LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. HENRICUS SCHMID

THEOLOGIAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT.

PRAEMISSA EST

HENRICI KEILII

DE GRAMMATICIS QUIBUSDAM LATINIS INFIMAE AETATIS COMMENTATIO

ERLANGAE.

TYPIS JOANN. PAUL. ADOLPH. JUNGE ET FILII.

MDCCCLXVIII.

1871, Feb. 18.
Salisbury Fund.

Studium latinae linguae et disciplinam grammaticae artis non extincta esse, postquam imperium Romanorum ab exteris gentibus expugnatum est, certissima testimonia habemus libros grammaticorum, quorum magnam partem post illud tempus scriptam esse constat. nam scholis grammaticorum iam pridem per diversas imperii partes propagatis etiam post peregrinarum gentium inmigrationem et exterorum regum dominationem per aliquod tempus vetera instituta manebant; mox cum propagatione christianae religionis ita coniuncta est latinae linguae scientia ad sacros libros legendos et ad omnem ingenii cultum necessaria, ut nobilissimi divinarum litterarum doctores etiam grammaticae arti operam darent. sed aucta sermonis barbarie, cum et veteres scriptores legi desinerent et docta priorum grammaticorum praecepta ab imperitis magistris neglegerentur, paulatim illa veteris doctrinae memoria olim consuetudine scholarum tradita prorsus periit, omnisque scholastica institutio vel ad exilem regularum tractationem vel ad ineptas de tritissimis rebus controversias redacta est.

Eo tempore igitur, quo primum cum vetere eruditione misceri nova barbaries coepta est, id quod inde a sexto fere saeculo vel exeunte quinto factum esse suspicor, Pompeius natione Africanus (gramm. lat. V p. 93) commentarium in artem Donati scripsit. qui quamvis rudi sermone et molestissimis verborum ambagibus usus pleraque inepte et pueriliter disputet*), tamen multa melioris doctrinae vestigia ex antiquioribus commentariis in Donatum recepta et usu scholarum tradita retinuit. eidem aetati ac

*) Ineptum et verbosum dicendi genus, quo Pompeius uti solet, nuper fraudi fuit A. Wilmannsio mus. rhen. a. 1868 p. 402, cum ea quae apud illum de iotacismo scripta sunt p. 286, 6 sqq. tamquam exemplum eius rationis, quam noni saeculi grammatici secuti essent, proponeret. cui errori quamquam paratam esse excusationem scio, tamen rem non praetermittendam esse duxi, propterea quod communem hanc video multorum opinionem esse, ut ineptissima quaeque illius potissimum aetatis homines decere credant.

provinciae, qua Pompeium fuisse dixi, Coronatum grammaticum, qui de finalibus ad Luxorium scripsit, L. Müllerus annal. philol. nov. a. 1866 p. 555 tribuit. Luxorium enim, ad quem liber scriptus est, eundem esse voluit, cuius epigrammaton liber a Burmanno anthol. lat. vol. II p. 579 sqq. editus est, quem sub finem quinti saeculi et initio sequentis in Africa vixisse constat, ipsum Coronatum autem eum, cuius item pauca carmina in anthologiam latinam I 176, V 155, 157 (549—551 ed. Meyer) recepta sunt. quamquam de Coronati quidem libro, cuius pauca verba in uno codice Lavantino (gramm. lat. IV p. L) relicta sunt, quam incerta coniectura sit adparet*). neque de Aspro et Audace grammaticis, quorum memoriam ante septimum saeculum fieri non inveni, satis constat, qua aetate vixerint. e quibus Aspri de octo partibus orationis liber ad exemplum artis minoris Donati scriptus, qui in conpluribus codicibus inventus est (gramm. lat. V p. 529), in tenui vulgarium regularum expositione versatur. Audax autem, de quo dixi Herm. I p. 332, plura sane ex antiquiore doctrina servavit; sed eorum maximam partem e Maximi Victorini libris qui feruntur

*) Coronati epistula ad Luxorium omisso ipso libro etiam in codice Monacensi 14252 (Em. 252) s. IX legitur, sed tam vitiose scripta, ut nisi adhibito Lavantino codice, e quo pauca descripsi, emendari nequeat. itaque epistulam e Monacensi codice descriptam paucis vel e Lavantino codice vel e coniectura interpositis, ut intellegi certe verba corrupta possent, in adnotatione exhibui. videant igitur africanae latinitatis amatores, num hunc scriptorem dignum deliciis suis iudicent. *Domino eruditissimorum* (*domino uiro eruditissimo peritissimorum* Lav.) *atque inlustri fratri Luxorio Coronatus. Cum considerarem temporis nostri lectores, uidi quam plurimos ad fontes uel flumina uenisse librorum bibentes auide et sitim propriae cupiditatis explesse, sed multorum animalium more pedibus pocula conculcasse, quibus prius fuerant dilectati, et fluenta splendidissima ab imis uadis commota prauorum facta imitare porcorum. sed tu amicior carissime quae mihi* (f. *praebe mihi*) *magis ac magis luxorium* (f. *Luxori*) *peritiam tuam et ardorem tui excellentiorem ingenii. in tuo gremio sofistarum noui cuncta uersari, quae* (l. *quia*) *uidelicet meam consuetudinem ex longitudine studiorum fallere nequiuisset, quod tu proba diligas ac defendas et que utilia* (l. *quae inutilia*) *et inepta cognoscas te saepius damnare cognoui. et licet paruus labor ceteris uidetur, tua peritia praesumptum me omnibus reddit, et noui qm̄ dum de* (f. *quo modo*) *solertium ingenia iudicamus, nos ab omnibus iudicandos. Quis doctus aut inperitus cum in suis manibus hoc uolumen adsumpserit, quae ac solertum cana* (f. *queat sollertum inventa*) *respuere, quae lectitat? et non statim clamans erumpat me falsarium et temerarium, qui audiat* (l. *audeat*) *aliquid post ueterum librorum doctrina* (l. *doctrinam*) [*aliquid*] *minuere uel superaddere. itaque in hac regula artium breuiata conantem post peritissimum Sergium, qui cognitus est omnibus peritissimis artilator existire* (l. *existere*), *quaeso pertracies et, si oportet publicis minumentis* (*monumentis uti* Lav.), *tractando eas, ne forsitan mea temeritas rennuatur et plus tuae scientiae postlatae* (*praelatae* Lav.) *quam meae ignorantiae a ceteris scribatur* (*ascribatur* Lav.).

recepit. omnium autem qui inferiore aetate de grammatica arte scripserunt longe ineptissimus fuit Vergilius a Maio class. auct. V p. 1 sqq. editus, qui sexto septimove saeculo in Gallia vixisse videtur *). is enim de grammatica arte ita disputavit, ut potius insulsas fabulas quam veram artis tractationem exhiberet. neque omnino certam disciplinam et rationem disputandi secutus est, sed plerumque de controversiis quibusdam, quas a grammaticis suae aetatis tractatas esse ait, disseruit. in quibus omnia fictis fabulis contexuit: velut in tota Europa duas esse scholas, Terentii et Galbungi p. 6, hos quattuordecim diebus totidemque noctibus in contentione mansisse de vocativo pronominis ego p. 24; item de formis verborum inter Regulum Cappadocum (*Cappadocem* Mai) et Sedulium Romanum quindecim noctibus totidem simulque diebus non minimam quaestionem habitam esse, quae usque ad gladiorum paene conflictum pervenerit p. 45; de explanatione verbi concilia apud Romanos habita esse, quibus multi et famosissimi praefuissent viri, quos nominatim appellat p. 37. de plurimis autem quaestionibus, quas tractat, se institutum esse scribit ab Aenea, praeceptore suo, quem saepe laudibus effert; de aliis praecepta ponit Mitterii cuiusdam Spaniensis, quem senem noctu ad suam domum venisse et hospitio receptum interroganti sibi de rebus difficillimis respondisse scribit p. 12 sqq. haec igitur omnia et alia eiusdem generis, ne plura adferam, ut ficta sunt haud dubie, ita ne fingi quidem potuerunt, nisi tum cum Vergilius scripsit scholae grammaticorum, in quibus de huius modi controversiis disputabatur, fuissent. saniore iudicio usi sunt qui in Hispania septimo saeculo de grammatica arte scripserunt, Isidorus Hispalensis et Iulianus Toletanus. sed in nulla regione magis haec studia illo tempore floruerunt, quam apud Hibernos vel Scotos, ut tum dicebantur, et Anglos, ad quos una cum christiana religione et Romanorum

*) Gallum se esse saepius ipse Vergilius significavit; Tolosanum dixit Abbo Floriacensis class. auct. ed. Mai V p. 349. de aetate autem, quantum quidem iudicari potest in libro rerum fictarum pleno, post Maium l. c. p. XI recte statuit Haasius de med. aev. stud. philol. p. 8 et nuper Usenerus mus. rhen. a. 1868 p. 501. perverso enim iudicio ductus Osannus Beitr. z. griech. u. röm. Littg. II p. 125 sqq. cum propter Sedulii nomen supra commemoratum, quod ad Scotum Sedulium pertinere confidenter pronuntiavit, tum quia fictis scriptorum nominibus Karoli Magni aequales significari sibi persuaserat, nono saeculo hunc grammaticum adsignavit. nimirum huius aetatis studia fabulis Vergilii referri putabat. immo ante saluberrima Karoli Magni instituta quam tristis litterarum condicio in Gallia fuerit, immania grammatici commenta ostendunt. ceterum praeter codices a Maio usurpatos epitomae Vergilii leguntur in codice Sangermanensi 1188 s. IX f. 11—40, *Maronis Virgilii ordiuntur epithomae XII. prima de sapientia. Toto* sqq. (p. 96 ed. Mai), et excerpta epitomarum in codice Montepessulano 306 s. IX f. 32—34, *differentiae sermonum ex epitomis Virgilii.*

scriptorum libros delatos et studium latinae linguae propagatum esse constat. et Scoti quidem quam diligenter veterum grammaticorum libros tractaverint, non solum codices ab iis scripti, quos homines peregrinandi cupidissimi in alias terras secum auferebant, sed etiam libri ex illorum praeceptis ab ipsis conpositi, quorum non nullos infra commemorabo, ostendunt *). apud Anglos autem, quorum in hac re magistri fuerant Scoti, sub finem septimi saeculi Aldhelmus de arte metrica ita scripsit, ut, quamvis commodis eorum qui versus faciebant serviret, tamen et veterum grammaticorum de arte praecepta sequeretur et e veteribus poetis petita exempla adscriberet **). non multo post Beda antiquis auctoribus usus de arte metrica et rhetorica et de orthographia scripsit. eodem tempore Tatuinus Donato et interpretibus Donati usus artem de octo partibus orationis scripsit, cuius initium nuper edidit Wilmannsius mus. rhen. a. 1868 p. 398. denique Bonifacii extat liber de octo partibus orationis et de metris simpliciter et sine ulla reconditioris doctrinae specie, sicut usus discentium requirebat, scriptus, in quo non solum Donati ars et commentarii in Donatum tum vulgo usurpati, sed aliorum etiam grammaticorum libri adhibiti, e Charisii vero libris conplura descripta sunt ***).

Postea, cum auspiciis Karoli Magni in regno Francorum neglectis antea liberalium artium studiis nova sedes et firmum praesidium pararetur, ad grammaticam disciplinam vel maxime illa industria, ad quam tum homines excitabantur, pertinebat. nam doctissimis viris ex omnibus regionibus, in quibus tum litterae colebantur, advocatis, scholis primum in palatio regis, mox in monasteriis et sedibus episcoporum institutis cum omnis liberalis institutio tum latinae linguae scientia egregie aucta est. cumque omnis eius aetatis eruditio in eo versaretur, ut vetus Romanorum doctrina, quae quidem ab extremae antiquitatis scriptoribus in conpendium quoddam redacta

*) De studiis Scotorum cf. Wattenbach archaeol. Ztschr. v. Otte u. Quast I p. 21 sqq. L. Müller mus. rhen. a. 1865 p. 357.

**) Aldhelmi librum e codice Palatino 1753 edidit Maius class. auct. V p. 501 sqq. codicem accurate descripsit Wilmannsius mus. rhen. a. 1868 p. 401. legitur praeterea in codice Valentiniano M. 6. 10 s. IX cum Palatino omnino consentiente. partes quaedam libri etiam scriptae sunt in codice Valentiniano M. 7. 3 s. IX et in Neapolitano Borb. IV A 34 s. XI.

***) Bonifacii librum de octo partibus orationis e codice Palatino 1746 edidit Maius class. auct. VII p. 475 sqq. ex iis quae ad artem metricam pertinent quaedam nuper e codice Palatino 1753 edidit Wilmannsius mus. rhen. a. 1868 p. 403. eadem non addito Bonifacii nomine e codice Wolfenbuttelano edita sunt ab Heusingero cum Mallio Theodoro p. 86, repetita a Gaisfordio script. lat. rei metr. p. 577.

erat, instauraretur et ad illorum temporum usum adplicaretur, grammaticae quoque artis studium omnino ad veterum praecepta directum est. quo factum est ut florentibus in universo Francorum regno studiis latinae linguae et veterum grammaticorum codices plurimis exemplaribus descripti tractarentur et illis adhibitis ab iis qui scholasticae disciplinae operam dabant multa de grammatica arte scriberentur, quibus ea quae a veteribus tradita acceperant ad suae institutionis usum adcommodata conponerent. sed quoniam auctores quibus illi usi erant propter eam ipsam causam, quia tum vulgo tractabantur, ad nostram aetatem propagati sunt, sequitur ut isti recentium grammaticorum libri nono saeculo scripti, sicut illi quorum supra mentionem feci, ad veteris quidem doctrinae memoriam augendam aut nihil aut pauca conferant, omnisque eorum utilitas, siqua est, in eo posita sit, quod quae tum fuerit horum studiorum ratio ex iis perspicitur. itaque cum olim de veterum grammaticorum libris manu scriptis quaerens ex his inferioris aetatis libris conplures vel ignotos adhuc vel minus notos una cum illis in codicibus scriptos invenerim, operae pretium esse visum est ea quae hac occasione mihi oblata sunt conponere.

Alcuini, qui latino nomine Albinum se dici malebat, duo libri ad grammaticam artem pertinentes editi sunt, de octo partibus orationis et de orthographia, Alcuini op. ed. Frob. vol. II. p. 265 sqq. e quibus librum de octo partibus orationis, quem Putschius inter veteres grammaticos recepit, Albini nomine inscriptum inveni in codice Monacensi 6404 (Fris. 204) s. XI, *Disputatio de uera philosophia Albini magistri. Audiuimus te — incondita uoce proferuntur. finit;* non addito nomine in Sangallensi 268 s. IX vel X, in Parisino 7559 s. X, in Bernensi 123 s. X et omissa praefatione in Sangermanensi 1426 s. XI; solam praefationem in Sangallensi 855 s. X, *Albinus de philosophia. Audiuimus te sqq.* quibus codicibus adhibitis multis locis emendari editorum exemplarium scriptura potest*). libellus de orthographia, qui totus fere e Bedae libro qui fertur translatus est, in codice Parisino 4841 s. X legitur addita in-

*) Huius libri exemplum videtur imitatus esse is qui Albini nomine usus quinto decimo saeculo artem grammaticam scripsit in codice Urbinate 308, *Schola Albini grammatici de grammatica et partibus orationis et earum accidentibus per dialogum. Fuerunt in schola Albini magistri discipuli duo, unus Abstemius ex Macerate in Flaminia oppido, alter uero Golpho pergulanus* sqq. item in codice Vaticano 1491 s. XV pauca de partibus orationis praescripto eodem nomine leguntur, *Albinus. Principales partes orationis sunt nomen et uerbum* — (de interiectione) *callidos homines et similia.*

scriptione *incipit ortographia Albini magistri.* in codice autem Sangermanensi 1447 s. X f. 93 hi praescripti sunt versus ad Karolum regem, quos quia cum libro editos non invenio, nec scio num alio loco editi sint, hic exhibui.

Splendida dum rutilat roseis aurora quadrigis
  perfundens pelagus luce nova liquidum,
discutit ex oculis nocturnos pollice somnos,
  mox senior strato prosilit ipse suo,
in campos veterum procurrens carpere flores,
  rectiloquos ludos pangeret ut pueris:
quos tibi dulcis amor, David clarissime consul,
  obtulit, ut pietas vestra probaret eos,
tradere iam pueris fierent si iudice digni
  te decus o sophiae condere corde tuis.
tu defende, precor, solita pietate poetam̄,
  qui direxit ovans munera parva tibi.
sunt equidem plures cupiunt qui carpere dicta
  saepius alterius, quam sua ferre foras,
in hoc se studio sapientes esse putantes,
  vatorum valeant si maculare melos.
talibus occurrat tua, rex, sapientia dives,
  defendens Flacci paucula dicta senis.
sint patris Entelli memores iuvenisque Daretis,
  ne laus quam quaerunt detrahat ipsa magis.
impleat aeternis Christi te gratia donis:
  o laus atque decus, rex, sine fine vale.

Cod. Sang. 5 ueterem *corr. al. m.* ueterum 10 cordi *corr al. m.* corde 11 pietata *corr. al. m.* pietate 13 capiunt *corr. al. m.* cupiunt 14 saepe 20 quā. q. r

Praeter hos libros autem nomine Albini inscriptus est commentarius in Prisciani libros sedecim amplissimus et in duos libros divisus, qui legitur in tribus codicibus Valentinianis decimo vel nono saeculo scriptis, M. 7. 3 praemissis utriusque libri capitulis *Albini in Priscianum incipit liber primus. Definitio orationis et quid sit proprium nominis quid verbi. Oratio est ordinatio dictionum congruam sententiam perfectamque demonstrans* — (de coniunctione) *neque unum assem praestat ille egenti nec hic abnegat petenti aliquid prorsus quod potest et decet*, et omisso Albini nomine M. 6. 9 et M. 6. 19. artem rhetoricam Albini ab Halmio editam rhet. lat. p. 523 sqq. praeter tres codices Monacenses ab illo adhibitos continet codex Valentinianus N. 4. 43 s. X et sine nomine auctoris Sangallensis 878 s. X.

Praeter Alcuinum inter grammaticos illius aetatis nullus clarior fuit quam Clemens *). de quo quae memoriae prodita sunt accurate indicavit Ernestus Dümmlerus Geschichte d. ostfränk. Reichs vol. II p. 649, cui locos infra positos debeo. dicam enim de hoc uberius quam de reliquis grammaticis, ut uno exemplo demonstrem, a quibus initiis tum emendatio institutionis grammaticae profecta sit, et quibus rationibus ii qui maxime his studiis excellebant usi sint. pervulgata igitur de Clemente est narratio monachi Sangallensis gest. Kar. monum. Germ. vol. II p. 731, venisse et hunc et alium quendam doctum Scotum (nam Alcuinum certe, ut vulgo creditur, non fuisse constat) tum cum Karolus rex regnare coepisset de Hibernia cum mercatoribus Britannicis ad litus Galliae; ibi utrumque per aliquod tempus sapientiam venditasse, deinde fama eius rei ad regem perlata ad illum adductos et benigne acceptos esse; postea regem ad bella proficiscentem Clementem in Gallia residere iussisse, pueros ei nobilissimos mediocres et infimos satis multos docendos commendasse omniaque quae ad eam rem necessaria essent liberaliter praebuisse, alterum in Italiam, ut ibi quoque pueros doceret, misisse. addit etiam regem post longum tempus in Galliam reversum pueros, quos Clementi commendavisset, ad se venire et offerre sibi epistulas et carmina sua iussisse, cumque mediocres et infimi optima, nobiles pessima obtulissent, illos laudavisse, hos poenis affecisse. sed his fabulis, quibus vulgo credunt Clementem a Karolo rege scholae Palatinae praefectum fuisse, vix quidquam quod fide dignum sit efficitur nisi hoc, magnam illius de quo haec fingebantur apud posteros famam fuisse. certius autem testimonium de schola eius grammatica primis noni saeculi annis florentis continet catalogus abbatum Fuldensium in vita Ratgeri, quem inde ab a. 802 usque ad a. 817 monasterio Fuldensi praefuisse constat, apud Boehmerum font. rer. germ. vol. III p. 162 *eo quoque tempore Hrabanum et Hatton Turonis direxit ad Albinum magistrum liberales discendi gratia artes, Brunan ad Einhartum tum variarum artium doctorem peritissimum, Modestum cum aliis ad Clementem Scottum grammaticam studendi*. ultra mortem

*) Quod Fabricius bibl. lat. med. et inf. aet. l. III p. 1082 Claudium Clementem Scotum appellavit, secutus esse videtur auctorem incertissimum Ioannem Trithemium de script. eccles. c. 258, quamvis reliquos illius errores correxerit. est praeterea carmen de luna a Burmanno anthol. lat. vol. II p. 307 e codice Parisino editum, quod in codice sic inscriptum esse ille dicit, '*carmen Claudii de luna*' et in margine *Alcuini vet. et Clementis*'. ubi *Alcuini vel et Clementis* legendum, Clementis autem nomen propter coniunctum cum eo Alcuini nomen de Scoto grammatico intellegendum esse viderunt Hauptius Berichte d. sächs. Ges. d. Wiss. a. 1850 p. 15 et L. Müllerus annal. philol. nov. a. 1866 p. 557. verum ex hac inscriptione Claudii nomen Clementi non magis tribui potest quam Alcuino, praesertim cum ipsum carmen ab utroque alienum sit, sicut recte iudicavit Hauptius l. c.

2

Karoli autem vitam et scholam eius duravisse adparet ex versibus eius ad Lotharium, Ludovici filium, post a. 817, quo anno ille a patre Caesar dictus est, scriptis, quos olim a me e Bambergensi codice editos gramm. lat. I p. XXI infra repetam. quare haud inprobabiliter Dümmlerus ad hunc rettulit versus Ermoldi Nigelli in honor. Hludov. IV 403 (mon. Germ. vol. II p. 509), *Turba sacerdotum Clementis dogmate constat Levitaeque micant ordine namque pii.* nam de vivente etiam tum in aula regia homine dici adparet. mors eius videtur indicata esse in necrologio Wirceburgensi saeculo nono scripto Eckhart. comm. de reb. Franc. orient. vol. I p. 830 *IV Kal. Iun. In Treveris Maximini Ep. et Clementis Presbyteri magistri Palatini.* minus certum est, num ad Clementem pertineant carmina Theodulphi episcopi Aurelianensis III 1 et 3 (bibl. patr. Lugd. vol. XIV p. 39 sqq.), quibus ille Scottum quendam in aula regia degentem acerbissimis conviciis perstrinxit, quae omnia de Clemente sic interpretati sunt Frobenius in Alcuin. op. I p. 93 et is qui Clementis vitam scripsit in nova bibliographia Parisina vol. X p. 776, ut hunc principem sectae Scotorum adversus Romanos fuisse vellent.

Huius igitur nomen in duobus codicibus, quos quidem viderim, decimo saeculo scriptis, Bambergensi M. V. 18 et Leidensi Voss. 4. 33, grammaticis libris subscriptum est. ex his Bambergensis codex artem grammaticam continet ita scriptam, f. 1—54 *In dei nomine pauca incipiunt de philosophia et de partibus eius. M. Omnibus* — (de interiectione) *exemplo aliarum partium orationis existimandae sunt exceptis his quae aut diptongo aut positione longae fiunt.* | *FINIT DE PARTIBUS ORATIONIS. OGPAHLFDHUIM* | f. 54—56 *Pes est syllabarum et temporum certa dinumeratio quia unus quisque pes et certas syllabas habet et certa tempora — sinzigiae autem sunt pentasyllabi hexasyllabi pedes et dicti apud grecos sinzigiae quasi quaedam declinationes. sed hi non sunt pedes sed appellantur pentasyllabi et exasyllabi quia ultra quinque et sex syllabas non procedunt. unde non oportet in carmine has syllabas quodlibet excedere nomen ut cartaginiensium hierosolimitanorum et constantinopelitanorum.* f. 56—70 *Quid est barbarismus? Pompeius ostendit ita dicens — Troia capta fuit. finit.* sequuntur versus hi, quibus nomen scriptoris indicatur,

pauca tibi, Caesar, de multis, magne Hlothari,
  iure tuus Clemens saepe legenda dedi,
cetera quo valeas per te penetrare sophiae
  calle velut veterum scita profunda virum.
namque prius pueri pascuntur ab ubere matrum
  lactis et irrigui nectaris hausta petunt;
sed cum vita solers pubet, cum membra vigescunt,
  tunc solidos solida educat esca viros.

sic tuus eximius crescet *) dum sensus et aetas,
  dogmata distribuam tunc potiora tibi.
his tamen his gradibus paulatim, Caesar, inormis
  culmina doctrinae scandere summa potes.
indolis ut surgunt carnalis pondera quantum (*f.* tantum)
  surgat et ingenium mentis in arce tuum.
non etenim vitis statim fert fronde corymbos
  nec latices pingues fundit oliva suos,
sed prius infigunt radices atque inde virescunt,
  floribus hinc redolent, post sua liba ferunt.

in Leidensi codice scriptus est tractatus de barbarismo ceterisque vitiis et virtutibus orationis, is qui in Bambergensi ultimo loco positus est, f. 159—170 *incipiunt pauca de barbarismo collecta de multis. Quid est barbarismus — capta fuit. finit expositio Clementis.* praeter hos codices non indicato nomine auctoris tractatus de barbarismo etc. solus legitur in codice Leidensi bibl. publ. 135 s. X vel IX, subiectus arti de octo partibus orationis, sed diversae ab ea quae in Bambergensi codice est, in Valentiniano M. 7. 3 post Albini commentarium et excerpta quaedam grammatica, *incipit de partibus orationis. Donatus artigraphus dicit Partes orationis sunt VIII nomen pronomen verbum et ceterae. Quid est pars? Cum dico nomen* — (de interiectione) *ua optantis atateht fugientis. expl. de partibus orationis. incipiunt pauca de barbarismis collecta de multis — capta fuit. finit de arte Donati pleniter.* deinde eadem ars de octo partibus, quae in Bambergensi codice scripta est, etiam in Reginensi 1442 s. XI legitur, nisi quod in fine quaedam vel omissa vel mutata sunt. illam alteram autem artem codicis Valentiniani exhibet Bernensis 123 s. X, initio tamen iactura membranarum mutilam, cui recenti manu in prima pagina inscriptus est titulus *Clementis Scoti liber de partibus orationis.* eiusdem artis partes quattuor postremae de adverbio, de coniunctione, de praepositione, de interiectione scriptae sunt in Voss. 4. 33, sed in ea parte libri quae prorsus diversa est ab illa quae tractatum de barbarismo continet: cf. gramm. lat. III p. 389. denique ex eadem arte videntur petitae esse *eclogae de libris grammaticorum* in codice Sangermanensi 1188 s. IX f. 121—160, *De littera et syllaba et accentu et posituris. Disciplina a discendo nomen accepit* sqq.

Ex his quae de libris manu scriptis dixi adparet auctoritate codicum tractatum de barbarismo Clementi tribui, ex reliqua arte quid ad eum pertineat incertum esse. quamquam enim in Bambergensi codice omnia ita scripta sunt, ut tamquam una et

*) *crescet*, non *crescat*, sicut olim edidi, scriptum est in codice.

continua ars ab eodem scriptore profecta esse videantur, praesertim cum commentarium de pedibus et praecedentem huic artem de octo partibus eiusdem auctoris esse propter definitiones quasdam utriusque communes probabile sit, tamen, quoniam in Valentiniano codice alia ars cum tractatu de barbarismo in unius commentarii continuitatem coniuncta est, dubitari potest, utra genuina Clementis ars sit. qua auctoritate autem usus sit is qui Bernensis codicis artem, quacum Valentinianum consentire dixi, Clementi adscripsit, nescio. nec magis constat, quibus rationibus ductus A. Maius class. auct. V p. 150 et in adnotationibus ad Vergilium grammaticum ib. p. 18. 27. 28. 35. 65. 96. 98. 114 illam artem, quae in Reginensi et in Bambergensi codice, saeculi undecimi et decimi libris, scripta est, Gainfredo grammatico, 'anglico homini, qui extremo saeculo duodecimo claruit', ut ait ib. p. XI, tribuerit. nam ex Reginensi codice petita sunt excerpta quae ille hoc nomine praescripto l. c. conposuit. sed illud vel his excerptis, quae mihi ex libris de quibus dixi parata sunt, inter se conparatis satis certo adparet, siquid omnino praeter tractatum de barbarismo ad Clementem pertinet, ea quae in Bambergensi codice scripta sunt ei tribuenda esse. nam Bernensis ars et scribendi et tractandi ratione satis diversa ab isto tractatu est nec aliam fere cum illo similitudinem habet, quam quod in ea quoque plurima ex antiquioribus grammaticis praescriptis eorum nominibus collecta sunt, eaque ipsa re videtur factum esse ut cum illo coniungeretur. Bambergensis autem ars, quamvis ne haec quidem cum illo tractatu prorsus consentiat, tamen multo maiorem cum eius ratione similitudinem habet. nimirum horum grammaticorum libri usui scholarum destinati non sic, ut primum ab auctoribus scripti erant, describi a librariis solebant, sed saepe ita mutati sunt, ut vix iam de nomine eius qui primum scripsit quaeri possit. quare ne de Clemente quidem quidquam certo definiri potest nisi hoc, eum ex libris veterum grammaticorum, tum primum ex Anglia et Hibernia in regnum Francorum perlatis ea quae ad grammaticam artem docendam idonea esse putabat collegisse et in suum librum transtulisse. qua ratione cum non ille unus uteretur, sed plures vel eius exemplum imitarentur vel eodem studio ducerentur, multi huius generis libri, in quibus excerpta veterum grammaticorum conponebantur, extiterunt. quorum librorum magnus numerus nunc etiam in codicibus legitur. itaque speciminis causa praefationem artis ex Bambergensi codice descriptam, sive illa Clementis est sive alius grammatici eiusdem aetatis et generis, omissis quibusdam quae ad grammaticam artem minus pertinent, proponam.

M. Omnibus divina stimulante gratia sapientiam discere volentibus necesse est ut sciant, philosophia quid sit, quae fons est omnis artis et disciplinae et omnium virtutum magistra, et ut deinde cognoscant, in quot et in quales partes ab eruditis saecularium

divinarumque litterarum doctoribus divisa est et quibus gradibus ad eius summam divina praecedente gratia ascenditur. *Δ* Philosophia igitur quid est? M Amor videlicet sapientiae. nam Graeci, quorum auctoritatem in omnibus sequimur artibus, philo amorem, sophian sapientiam dicunt. *Δ* Sapientia quid est? *M* Boëtius ostendit ita dicens, 'sapientia est harum rerum quae sunt propriae quaeque suo nomine essentiae nominantur cognitio et integra conprehensio'. et 'ex sapore' Virgilio testante 'sapientia nominatur, quia sicut in corpore gustus sit, ita et in animae motu quidam sapor est, qui artium dulcedinem gustat***

Δ Quot et quibus gradibus divina ducente gratia ad philosophiae summa ascenditur? *M* Septem videlicet principalibus. disciplinae enim liberalium artium septem sunt, prima grammatica, id est loquendi peritia; secunda rhetorica, quae propter nitorem et copiam eloquentiae suae maxime in civilibus quaestionibus necessaria existimatur; tertia dialectica cognomento logica, quae disputationibus subtilissimis vera secernit a falsis; quarta arithmetica, quae continet numerorum causas et divisiones; quinta musica, quae in carminibus cantibusque consistit; sexta geometrica, quae mensuras divisionesque complectitur; septima astronomia, quae continet legem astrorum. quisquis ergo in thesauros spiritalis sapientiae sagaci animo intrare desiderat, per praedictos eruditionis gradus domino ducente incedere curet. non solum enim philosophi, humanae videlicet sapientiae amatores, rite discendo docendoque hos praedictos sequebantur gradus, sed et sancti divinae scripturae doctores et catholicae nostrae fidei defensores his gloriosis sapientiae gradibus incedentes ad sanctarum scripturarum culmina pervenerunt et in regis aeterni cellaria ducti et sacro spiritalis sapientiae gurgite repleti mortifera doctrinae hereticorum venena extincxerunt et ab ipsi diaboli ministris catholicam favente domino ecclesiam protegentes celebres in toto terrarum orbe et gloriosi divina largiente gratia effecti sunt. *Δ* Quae ex his septem liberalis disciplinae speciebus primitus est discenda? *M* Grammatica videlicet, quae origo et fundamentum est litterarum liberalium et recte loquendi scribendique ratio. qualiter enim praedictas liberalis disciplinae species quisquis cognoscere poterit, nisi prius grammaticam, id est recte loquendi scribendique rationem discere studeat? *Δ* Grammatica ergo unde nomen accepit? *M* A litteris videlicet? grammata enim Graeci litteras vocant: gramma vero graece, littera latine dicitur; grammatica graece, litteratio latine; grammaticus vero dicitur litterator. *Δ* Grammaticae officia quot sunt? M Quattuor videlicet, id est lectio enarratio emendatio iudicium. *Δ* Lectio quid est? M Secundum accentus quidem et sensuum necessitatem propria pronuntiatio. *Δ* Enarratio quid est? M Secundum poetae voluntatem unius cuiusque descriptionis explanatio. *Δ* Emendatio

8 *omisi verba Vergilii quae sequuntur*, qui verborum — internat ac pandit *p. 96 ed. Mai, et longiorem disputationem de partibus philosophiae et philosophorum* 10 disciplinae — astrorum *Isid. I 2.* 24 liberalibus *cod* 26 grammatica] *Isid. I 15* 32 grammaticae officia — comprobatio *Max. Victor. p. 1937.*

quid est? M Errorum et figmentorum reprehensio. Δ Iudicium quid est? M Bene dictorum comprobatio. Δ Quot sunt divisiones grammaticae artis? M. XXX videlicet a quibusdam dinumerantur, id est partes orationis VIII, vox articulata, littera, syllaba, pedes, accentus, positurae, notae, ortografia, analogia, ethimologia, glosae, differentiae, barbarismi, soloecismi, cetera vitia, metaplasmi, scemata, tropi, prosa, metra, fabulae, historiae. dictio vero, oratio, diffinitio inter has divisiones ab aliis numerantur. Δ Quo modo unius cuiusque divisionis de praedictis grammaticae artis speciebus proprietas cognoscitur? *M* Ita. vox, a qua grammaticorum ars inchoat, aër est tenuissimus, sonus videlicet sensibilis, qui proprie auribus accidit. littera vero pars est minima vocis articulatae, quae iter ad legendum discentibus praebet. syllaba est conprehensio litterarum vel unius vocalis enuntiatio [et] temporum capax. dictio pars minima est vocis constructae plenumque sensum habentis. oratio est ordinatio dictionum congruam sententiam perfectamque demonstrans, et est oratio dicta quasi oris ratio. diffinitio est brevis oratio unam quamque rem propria significatione concludens, ut 'homo animal est mortale rationale risus capax'. sed hoc intuendum est, quod diffinitio ad omnes disciplinas et res pertinet. pes est syllabarum compositio et temporum certa dimensio; pedes dicti eo, quod per ipsos metra ambulent. accentus est certa lex et regula ad levandam et comprimendam syllabam. positurae sunt puncti ad distinguendos sensus. notae sunt figurae quaedam vel ad brevianda verba inventae vel *ad* sensus exprimendos vel ob diversas causas constitutae, ut in scriptura sacra obelus ÷ vel asteriscus ⋇. ortographia est recta scriptura, utpote ad praepositio d accipit, at coniunctio t. analogia est similium conparatio, ut incerta certis probentur. ethimologia est origo et ratio vocabulorum, ut a regendo rex et ab humo homo dicitur. glossa est unius verbi vel nominis interpretatio, ut catus id est doctus. differentia est distinctio duarum rerum cum interpretatione, ut rex dicitur qui modestus est, tyrannus qui crudelis est. barbarismus est una pars vitiose dicta. vulgare proverbium est 'malae arboris nodo malus cuneus quaerendus est'. soloecismus est oratio vitiose composita. vitia sunt quae in eloquiis cavere debemus, et sunt XII. metaplasmus est metrica licentia vel necessitate inmutata regula locutionis. scemata sunt ornamenta eloquii et habitus quibus sententiae vestiuntur. tropus est dictio translata a propria significatione ad non propriam similitudinem ornatus necessitatisve causa. prosa est recta locutio absque metro vel versu composita. metra vocata sunt, quia certis pedum mensuris terminantur. fabulae res fictae ludendi causa vel cuiuslibet significationis. historia est narratio rei gestae. Δ Unde is qui artis grammaticae notitiam habere desiderat discendi ordinem inchoare debet? *M* A voce videlicet articulata, a qua oriuntur litterae, quae artis grammaticae primordia existunt. licet enim artis grammaticae auctores exordium scribendi varium diversumque sumpserunt (quidam enim ab ipsa arte coeperunt, alii a litteris, multi a casibus, plerique a partibus orationis, pauci a nominum declinationibus

2 divisiones — historiae *Isid. I 5* 19 ad *ante* sensus *om. cod.* 20 obolus *cod.* 25 quia — quia *cod.*

incipientes), peritissimi tamen grammaticae doctores a voce rationabilius inchoandum esse sanxerunt. per vocem enim, ut praediximus, efficiuntur litterae; de litteris efficiuntur syllabae; de syllabis partes orationis octo nascuntur; de ipsis vero octo partibus omnis metrica prosalisque oratio efficitur.

In arte tractanda grammaticus primum breviter de voce, de littera, de syllaba, deinde copiosissime de octo partibus orationis disputat. auctores autem in primis sequitur Donatum et Priscianum, quibus ita uti solet, ut servato eo rerum ordine, qui a Donato institutus est, ex uberioribus Prisciani copiis materiam augeat. sed iis quae ab utroque recepit multa aliorum grammaticorum excerpta interposuit, quibus quae illis auctoribus praecepit confirmaret et expleret vel, siquid dissentirent, indicaret. nominatim autem appellatos praeter Donatum et Priscianum, nisi quid me praeteriit, inveni hos, Cominianum (h. e. Charisium), Diomedem, Consentium, Servium Honoratum, Seregium vel Sergium, Pompeium, Augustinum, Vergilium, semel, nisi fallor, Paperinum *): nam quae de Probi et Plinii praeceptis scripsit non ab his ipsis petivit, sed Pompeio

*) Paperini excerpta tria e codicibus supra indicatis descripsi. e cod. Bern. et Sang. de accentibus *item Paperinus, nulla uox duarum uel plurium syllabarum acuto sono in ultima terminatur. inflexum non alia pars postremum habet, nisi pars cuius posterior syllaba natura longa excurrit, quae aut amissione ultimae syllabae litterarumue aut earum quae sunt ante ultimam corrumpitur, ut parat oplet finit agnot adit adhuc addit adhuc* (*agnot aduc addic adhuc* Sang.) *posthac antehac audi, quae plena et integra alia sunt, ut parauit opleuit agnouit audiuit dice adduce adhuce posthace antehace audiui cupiui* (l. *parât opplêt finît agnôt audît cupît dîc addîc dûc addûc adhûc posthâc antehâc — paravit opplevit agnovit audivit cupiuit dice addice duce adduce adhuce posthace antehace*). *huius quoque generis sunt istoc illoc istac illac istic illic.* e cod. Bamb. de pronomine *inde Paperinus ait, cuiatia sunt ista mancipia? respondemus nostratia sunt.* e cod. Valent. de medietate *Paperinus dicit quod optimum et maximum per u in media syllaba scribebantur apud ueteres; sed sonum i habebat* (l. *habebant*): *ideo i scribitur in his nominibus, ut ipse dicit, i littera in loco u litterae posita, sicut optimum et maximum dicimus, quia* (l. *quae*) *antiqui optumum maxumum dicebant.* ex Papiriano excerpta de orthographia collegit Cassiodorus p. 2290. eiusdem de orthographia librum citavit Priscianus l. I p. 27, 11. 31, 2. l. X p. 503, 16. l. XII p. 593, 14. e quibus ea quae ultimo loco citata sunt cum Paperini praeceptis de accentu consentiunt. quamquam eadem saepius a grammaticis docentur: cf. Prisc. l. I p. 129, 18. ex paucis autem excerptis quae posui certo iudicari nequit, num illi qui post Cassiodori et Prisciani aetatem de arte grammatica scripserunt librum Papiriani habuerint, vel quis fuerit Paperinus quem dicunt. multo post quidem ex Papyriani libris de orthographia Ioannes Tortelius Aretinus in commentariis grammaticis de orthographia plurima citavit eorumque se fragmenta habere dixit in epistula ad Nicolaum V pontificem praemissa, 'accepimusque haec primum ex fragmentis decem librorum Papyriani, quos de orthographia scripsit'. sed de his fragmentis, quibus fidem habuit Osannus in Apul. de orthogr. p. 30, dubitabimus, dum in codice ante quintum decimum saeculum scripto inventa erunt.

auctore recepit. non adscriptis nominibus saepe usus est Isidoro et Maximo Victorino de arte grammatica. in tractatu de pedibus, qui subiectus est, his accedit Mallius Theodorus et, quem aliis auctoribus citavisse videtur, Terentianus Maurus. ceterum ab iisdem fere auctoribus collecta est altera illa ars, quam in Bernensi aliisque codicibus esse dixi, nisi quod in ea non adhibitus est Diomedes, permulta Cominiani nomine a Charisio recepta sunt, paucis locis appellati Maximianus, Flavianus *), Hieronymus. denique tractatus de barbarismo totus fere conpositus est excerptis Donati, ad cuius rationem hic quoque commentarius omnino adcommodatus est, Consentii, Seregii, Pompeii, Isidori, quibus semel Euticii (h. e. Eutychis), Cominiani, Hieronymi, Victorini (h. e. Max. Victorini de grammatica), bis Capri et Prisciani, paulo saepius Maximiani testimonia interposita sunt. nam excerptis grammaticorum in hac parte libri pauca ab ipso scriptore addita sunt. e quibus maxime memorabile hoc est, quod exempla poetarum, maxime Vergilii, ab illis adscripta antepositis plerumque verbis *plenitudo versus haec est* vel brevius *plen.* exponere eaque occasione oblata multa a rebus de quibus agitur aliena afferre solet, quod commentandi genus ipsum quoque illa aetate usitatum fuit. quam neglegenter autem in ea re versatus sit, haec sunt exempla. de soloecismo (Don. 394, 7) versum sine nomine poetae saepe citatum, sed Ennio recte, ut videtur, adscriptum non solum Vergilio tribuit, sed etiam ex quo loco petitus esset, indicavit, *per significationem verborum ple. et spoliantur eos et corpora nuda relinquunt. Virgilius hoc dixit de eo quod Nisus et Eurialus multos de sociis Turni spoliaverunt, et similiter socii Turni de Troianis fecerunt. hic passivam significationem posuit pro activa vel deponens pro neutro posuit propter necessitatem metri.* item de schesi onomaton (Don. 398, 17) versum Ennii *Marsa manus, Paeligna cohors, Vestina virum vis* propter Paelignos Ovidio tribuit, *Ovidius hunc versum cecinit.* de episynalipha (Don. 396, 20) versum Vergilii bucol. 6, 62 e Prisc. I. I p. 65, 8, ut videtur, neglegenter receptum et ab eo quod illo loco agitur alienum adscripsit, *episinalifa est conglutinatio duarum syllabarum rel. ple. tum Foetontiadas (foeton*

---

*) Maximiani nomine grammatici usurpaverunt librum Maximi Victorini qui fertur de ratione metrorum. nam in hoc leguntur quaecumque Maximiano tribuunt. ea quae Flaviani nomine praescripto citantur cum Charisii praeceptis fere consentiunt. quare excerpta quaedam Charisii olim propter Flavii nomen sic inscripta eoque nomine ab inferioribus grammaticis usurpata esse conieci Herm. I p. 334. nam cum antiquis grammaticis pluribus locis nomen Flaviani coniungitur. contra quae disputans L. Müllerus annal. philol. nov. a. 1866 p. 561 Flavianum magistrum Pauli Diaconi esse voluit. itaque siquis vel hunc ipsum vel alium quendam Flavianum (nam frequens fuisse illud nomen nemo nescit) Charisii libros excerpsisse putabit, non contra dicam: mihi enim ex quo fonte Flaviani excerpta ducta sint indicavisse sufficit.

ceada corr. *foeton ciadas* cod.) *musco circumdat amare. Foeton fuit filius Apollinis, qui voluit currum eius regere, de quo lapsus fuit. inde dicuntur sorores matris eius Foetontiades (foeton ceadas* cod.). *hic poeta propter necessitatem metri unam syllabam de duabus vocalibus, id est de o et e, fecit* (*v* add. cod.), *foeton.* recentium scriptorum exempla iis quae a veteribus grammaticis acceperat raro addidit, e quibus pono versus e carmine Sisebuti anthol. lat. V 45 (388 ed. Meyer), 11 citatos de paragoge (Don. 396, 6), *alii dicunt quod magi et magis in genetivo cum poetis invenitur, sicut Achillis pro Achilli. sed alii rationabilius dicunt quod magis vel mage sine s conparandi adverbium invenitur, ut est in hoc versu Virgilii, 'aspice num magi sit nostrum penetrabile telum'* (*Turnus hoc dixit*), *et in hoc Sisebuti regis, 'en quos flammantem iubeas volitare per ethram, Quin mage pernicius aquilam sus pigra volantem'. sed poeta s accipit propter necessitatem metri in hoc adverbio et dicit magis pro magi, quando vult, quia naturaliter brevis est.*

His libris, de quibus modo dixi similes sunt libri duorum grammaticorum, qui in Sangermanensi codice 1188 leguntur, Cruindmeli et Malsachani, qui eadem fere aetate qua Clemens eiusdemque nationis fuisse videntur. nam praeter libros nominibus eorum inscriptos nihil de iis conpertum habemus. Cruindmelo igitur in codice tribuuntur versus duodeviginti ante artem metricam (f. 41—56) ad commendandum legentibus librum scripti, quos una cum initio et fine libri ponam,

Hos versiculos Cruindmelus conposuit

Haec, dulces iuvenes, prompti servate, rogamus,
quae vestro scripsit vester amore pater.
subdite colla iugo regis per saecla regentis:
namque decet iuvenes subdere colla iugo.
linquite lucra, precor, quae vos ad tartara ducunt,
caelestis regni quaerite lucra, precor.
casta dicate deo summo nunc membra, rogamus,
membra, precor, summo casta dicate deo.
spernite, posco, dapes, Bachi calcate furorem:
namque furor Bacho atque libido manet.
corda replete magis dulcis at imbre sophiae,
scripturae dapibus corda replete magis.
carpite rite viam Christi quae ducit ad aulam:
nam tempus, pueri, carpere rite viam.
noster amor animis vestris sit fixus ubique:
vester namque animo fixus ubique meo.

1 pruptis *cod.* 10 manat *cod.*

fecit amor vester, fratres, haec carmina mecum,
vobiscum faciat talia noster amor.

In dei nomine de metrica ratione pauca incipiunt ex multis grammaticorum libris excerpta.

Discite me, pueri, versus si scribere vultis:
nam veterum rite carmina prisca sequor.

Omnibus metricae artis notitiam habere desiderantibus necesse est ut ordinem distantiamque litterarum atque syllabarum primitus discere studeant, quia de litteris efficitur syllaba et de syllabis efficitur pes, de pedibus efficitur versus. de vario vero versuum ordine praeclara versifici conponunt carmina. De littera. Δ Littera quid est? M Pars minima vocis articulatae — De synalipha. Synalipha quid est? Graecum nomen; latine vero saltus vel interceptio dicitur. ubi enim aliqua pars orationis in versu in vocalem desinit brevem altera sequente vocali in alia orationis parte, sonum inter se conlidunt. ideo a metricis una transilitur Donato *(p. 396, 23)* ita testante, synalipha est per interceptionem concurrentium vocalium lubrica quaedam lenisque conlisio, ut 'atque ea diversa penitus dum parte geruntur'. haec a quibusdam sincrisis vel conlisio interpretatur. Utrum prima an secunda vocalis transilitur? Prima etiam Consentio (*p. 403, 28*) ita testante, nunc illud animadvertendum, quod in hoc damno syllabarum, ubi una vocalis, maxime prior perit; Maximiano tamen grammatico ita testante, quod prior vocalis, si sola sine consonantibus si syllabam *

15 per interceptionem uocalium concurrentium uocalium *cod.* 16 sincrisin *cod.* 17 prima a secunda *cod.* 18 nunc illud amoneo que animaduertendum quod *cod.* 20 *extrema libri pars aliquot membranis amissis periit.*

Scripsit autem grammaticus de littera, de syllaba, de pedibus, de metris, maxime de hexametro heroico. veteribus grammaticis, de quibus plurima collecta sunt, usus est iisdem, e quibus ii commentarii, de quibus antea dictum est, excerpti sunt, Donato, Prisciano, Consentio, Maximiano, Servio, Pompeio, Palaemone (h. e. Maximo Victorino de carmine heroico) Mallio Theodoro, Isidoro, Vergilio, e quo citavit haec, quae in editis a Maio epistulis non inveni, *Virgilius tamen Maro in suis dicit epistolis quod duae vocales in unam syllabam dyptongi iunctae non possunt suum exprimere sonum.* exempla scriptorum partim ex antiquiorum grammaticorum libris repetita sunt, partim addita nova recentium poetarum, Aratoris Paulini Sedulii.

Malsachani *) nomen ante tractatum de verbo in fine codicis f. 161—181 scrip-

*) *Malrachani* legit is qui de hoc grammatico scripsit in bibliographia nova Parisina vol. XXXIII

tum recentiore quidem, ut mihi visum est, manu, quam qua ipse liber scriptus est, sed antiqua tamen additum est, *Ars malsachani. Verbum est pars orationis cum tempore et persona sine casu aut agere aliquid aut pati aut neutrum significans. in hac definitione V genera uerborum continentur: in eo quod dicit agere actiuum et dimidium communis et deponens, item in eo quod dicit pati passiuum et dimidium communis, item dicendo neutrum neutrale uerbum solummodo intellegitur. — cur praesens prius et post praeteritum declinatur, et non praeteritum prius, post praesens et futurum? ideo,. id est causa principalitatis, quod praeteritum praeteriit et futurum non aduenit, ut dicitur quando dicitur le futurum est go, quando go praeteritum est le.* tribus membranis in fine codicis recisis quaedam periisse videntur. de verbo consueto grammaticorum more agitur, primum de declinatione verbi, deinde de septem accidentibus, quae a Donato positae sunt, tum de varia verborum positione, de ratione ultimae syllabae in verbo; postremo pauca adiecta sunt de participio. antiquiorum autem grammaticorum excerpta ab hoc quoque scriptore multa recepta sunt partim additis eorum nominibus, partim omissis, in primis Prisciani, Donati et interpretum Donati, deinde Diomedis, Consentii, Flaviani.

Artem Donati de octo partibus orationis eadem aetate amplo commentario exposuit Smaragdus, abbas monasterii S. Michaelis ad Mosam apud Virodunenses a. 805—824: cf. Le Cointe annal. eccles. Franc. vol. VII p. 726 sqq. Baehr Gesch. d. roem. Litt. im Karoling. Zeit. p. 362. sed inter reliquos Smaragdi libros saepius editos commentarius in Donatum editus non est; quaedam ex eo excerpta exhibuit Mabillonus vet. anal. vol. II p. 420 duobus codicibus Corbeiensibus usus, quae partim a Lecointio l. c. p. 731 repetita sunt. ego praeter duos codices a Mabillono adhibitos, qui nunc sunt Parisini inter codices Sangermanenses, in duobus aliis item Parisinis Smaragdi librum scriptum vidi. Sangerm. 1447 s. X *incipit tractatus in partibus donati cuiusdam presbiteri* (*Zmaragdi* add. al. man.). *prologus ipsius. Cum secundum intellectus mei capacitatem — De accentibus interiectionum. Quamquam naturaliter interiectiones accentum non habeant, quia plerumque ab incognitis efficiuntur uocibus, tamen nos illis secundum considerationem uocis accentum inponimus, quia nulla pars orationis apud latinos sine aliquo accentu profertur. et sicut in aliis partibus monosyllabae* (adde *aut disyllabae*) *aut trisyllabae et deinceps, si correptae sunt aut positione longae, aut si ultimas longas habuerint, accentum habent acutum, ita et istae. et sicut in aliis partibus si natura trochaeus fuerit, circumflexum habet accentum, ita et istae. et de gravi similiter considerandum est. explicit*

p. 104. Malschanum appellavit Fabricius, qui auctore Ducangio ex eodem codice et huius grammatici nomen et Cruindmeli recepit in bibliothecam latinam med. et inf. aet. l. XII p. 29. l. III p. 1285.

tractatus in partibus donati. Sangerm. 635 s. X *In Christi nomine incipit grammatici smaragdi abbatis miri . . . .* (*mirifice* Mab.) *tractatus deo gratias amen. Cum secundum intellectus* sqq. Paris. 7551 s. X *Prologus. Cum secundum — considerandum est. explicit liber Zmaragdi prbi in partibus donati feliciter expstū.* Paris. suppl. 69 s. X vel XI *Incipit prologus. Cum secundum* sqq.: ultima libri pars post tractatum de verbo in codice periit. prologum libri, cuius maximam partem etiam Mabillonus edidit, e codice Sangermanensi 1447 descriptum exhibebo.

Cum secundum intellectus mei capacitatem grammaticam fratribus traderem, coeperunt aliqui audita libenter excipere et de tabellis in membranulas transmutare, ut quod libenter auribus hauserant frequentata lectione fortius retinerent. unde occasione accepta coeperunt me suasorio sermone conpellere, ut expositionis nostrae ita protelarem sermonem, ut cum auctoritatibus scripturarum octo partes exponendo concluderem et in libelli perfectione finirem. quibus tandem frequenter cogentibus consentivi et opitulante Christo usque ad finem partium expositionis nostrae sermonem perduxi. quem libellum non Maronis aut Ciceronis vel etiam aliorum paganorum auctoritate fulcivi, sed divinarum scripturarum sententiis adornavi, ut lectorem meum iocundo pariter artium et iocundo scripturarum poculo propinarem, ut grammaticae artis ingenium et scripturarum divinarum pariter valeat conprehendere sensum. et hoc quare fecerim, lector audi. sunt etenim aliqui naturali simplicitate praediti et alii sub praetextu sanctitatis occulti et alii tarditatis ignavia pressi, qui aiunt quoniam in grammatica arte deus non legitur nec nominatur, sed paganorum tantum ibi et nomina resonant et exempla, et ideo a nobis merito calcata dimittitur et neglecta, nescientes quia aliud est de arte tractare, aliud de deo loqui. nos autem intellegentes quia populus Israhel egrediens de Aegypto vasa aurea et argentea secum detulit, Aegyptum scilicet expolians se vestivit et quod a paganorum abstulit ritu domino obtulit in obsequio, quod nos eius ope fulciti non iam figuraliter aut umbratice, ut illi, sed spiritaliter et veraciter implentes a paganis bene dispositum artis grammaticae discimus ingenium et libenter illud in domini offerimus sacrificio. et quoniam ars grammatica maxime cum nomine domini in divinis scripturis principatus sui obtinet regnum, utrarumque rerum in hoc libello plurimum coniunctim ponimus exemplum, ut quo caritatis glutino sint coniuncta lectori nostro esse non possint incognita. sed ut dulciter tiro austeritatem artis cum coelestis mellis dulcedine facilius possit glutire, scripturas arti, artem vero nectimus scripturis, ne aut grammaticae artis pondere pressus aut divinarum scripturarum mole gravatus desidiosus lector excusationis invenire possit anfractus. explicit. incipit praefatio totius libri istius

Hunc operis nostri modicum percurre libellum,
lector, ut invenias, candide, quidquid amas.

2 in membranulis *cod.* 19 spiraliter *cod.* 30 *sequitur deinde laudatio libri versibus conprehensa sexaginta, quos non descripsi.*

Totum opus quattuordecim libris divisum esse Lecointius, quattuor Baehrius non recte dixerunt. in quo illi videntur secuti esse praescriptionem capitulorum, quibus scriptor tractationem artis distinxit. velut post praefationem versuum in initio artis septem posuit capitula, *I de eo quod grammatica ars uocatur II cur oratio latinitas dicatur III de octonario calculo quo tota latinitas conprehenditur IIII cur in partibus nomen ponitur primum V de difinitione nominis ceterorumque partium VI cur nomen dicatur cum casu VII cur dicitur nomen corpus aut rem proprie communiterue significans.* similiter et reliquae nominis expositioni et iis quae de ceteris partibus orationis disputavit capitula praescripsit, interdum etiam versus praefationis loco addidit, quo facilius ordo disputationis valde diffusae perspiceretur. sequitur autem Smaragdus in arte tractanda ordinem Donati, cuius librum exponendum sibi sumpserat, adhibitis interdum etiam aliis auctoribus, Prisciano, Pompeio, Foca, Isidoro. sed ea re maxime ab iis scriptoribus, de quibus antea dixi, differt, quod minus quam illi in usu veterum scriptorum exponendo versatur, sed praecepta artis ad suae aetatis sermonem adplicare studet, nam exempla regulis adscripta, sicut ipse in prologo indicavit, pleraque e sacra scriptura, ad quam legendam discipulos instituere volebat, non nulla etiam ab ecclesiasticis scriptoribus petivit; quin etiam numerum octo partium orationis, in quibus summa grammaticae artis versatur, e sanctitate quadam eius numeri, quae sacris libris confirmata esset, ita deduxit, ut hoc 'divinitus inspiratum esse non dubitaret'. deinde saepius hominum suae aetatis mentionem fecit, quod raro fieri apud grammaticos huius temporis inveni, ut de casibus nominum *genetiuus ideo uocatur, quia per eum ostendimus gentem, ut Carolus Pippini filius,* et de quattuor nominum speciebus *ergo secundum hanc diffinitionem praenomen et nomen inter proprias, cognomen et agnomen inter appellatiuas teneamus species. nam propriae qualitatis praenomen sine alterius nominis amminiculo suum absolute debet ostendere intellectum; ut si dicas 'de palatio uenio imperatoris' et 'imperator mihi fuit locutus', sic plenum habet intellectum, ac si proprium ponas nomen et dicas 'de palatio uenio Ohluduuuici' et 'Chluduuuicus* (*chlouuuicus* cod.) *mihi fuit locutus', et ideo ista duo inter propria rite possunt nomina conputari.* denique de patronymicis et possessivis multa Francorum et Gothorum nomina enumeravit, quae ad leges nominum Romanorum redigere studuit*). quamquam praeter propria nomina hominum non inveni vulgaris sermonis rationem habitam esse.

*) Exempla nominum francicorum et gothicorum partim iam a Mabillono edita ex hoc Smaragdi loco edidit Massmannus, Zeitschr. f. deutsch. Alterth. v. Haupt I p. 388 sqq., excerptis usus duorum codicum Parisinorum suppl. 69, ut videtur, et Sangerm. 1447, quem ille miro errore anno 1447 scriptum esse dixit. neque tamen satis emendata omnia exhibuit, praesertim cum in sola nomina in-

Vulfini grammatici Aurelianensis mentionem facit Theodulphus, qui laudatis studiis poeticis iuventutis Aurelianensis eam laudem institutioni Vulfini deberi praedicat, carm. II 13 (bibl. patr. Lugd. vol. XIV p. 39), *Nam, Vulfine, tibi debentur praemia laudum, Cuius ab omne fluunt metrica docta bene. Hinc tibi multiplices agimus, carissime, grates: Praemia pro meritis rex deus ipse dabit.* ad eundem scriptum carmen versuum triginta quattuor legitur in codice Parisino 7558 s. X *Vulfino grammatico Aurelianensi conortatio* (l. *cohortatio*) *ut rescribat, Annuus excurrit reuolutis mensibus orbis* sqq. quod carmen cum aliis carminibus nescio qua auctoritate nomine Drepanii Flori inscriptis editum est a Morellio cum Mario Victore Paris. 1560 et in bibl. patr. Lugd. vol. VIII p. 670; rectius, si modo verum est Flori nomen, Floro Lugdunensi diacono adscribitur hist. lit. de la France V p. 231. nam huius fere aetate, h. e. ante mediam saeculi noni partem, vixisse Vulfinum Theodulphi carmine constat. quare ii qui historiam litterariam Galliae scripserunt, hist. lit. de la France IV p. 500, eum non diversum esse voluerunt a Vulfino Boetio episcopo Pictaviensi. excerpta autem Vulfini extare videntur in codice Caroliruhensi 112 s. IX, cuius apographum mecum communicavit Alfredus Holderus. in eo enim bis scriptum est eius nomen, primum in extrema pagina f. 63, in qua post Sergii excerpta de nomine scripta sunt haec, *incipiunt artes* (l. *partes*). *Audaci de Scauri et Palladii libris excerpta* et in imo margine *uuolfuinus*, deinde f. 92 post tractatum de nomine pronomine et verbo, qui illam inscriptionem excipit, *Quid est nomen? nomen est pars orationis cum casu significans rem corporalem — et passiuo genere edor ederis editur et praeterito essum. inde et comesus neque comesturus ut uultus* (l. *vulgus*) *estimat. finit. deo gratias uuoluuinus.* sequitur deinceps reliquarum quattuor partium orationis expositio. de omnibus autem partibus non unius grammatici commentarius, sed complurium grammaticorum tractatus diversi positi sunt. itaque is qui haec conposuit praeter excerpta Audacis, ad quem prima tantum pars expositionis de nomine pertinet, aliorumque grammaticorum etiam Vulfini quodam libro usus esse videtur.

---

tentus quaedam, quae a grammatico interposita sunt, omiserit. verum haec peritis harum rerum viris, si operae pretium esse iudicaverint, corrigenda relinquam; unum locum plenius descriptum e cod. Sang. 1447 exhibebo, quoniam hoc ita abusus est Massmannus, ut Smaragdum se ipsum quasi Gothum Francis, non suae aetatis usum Romanorum consuetudini opponere existimaret. nam de genere nominum scripta sunt haec, *Alia sono feminina, intellectu masculina, ut Fenestella scriptor, Aquila orator. uir erat quidam scriptor, qui proprio nomine uocabatur Fenestella: alius uocabatur Aquila, ille, ut suspicor, de quo legimus Aquila et Teodotion, et erat orator, id est doctor. nos uero sono feminina et intellectu masculina et propria multa habemus in usu, quorum haec sunt exempla, egica uuitza uuamba ega froia froila liubila fridila argila adila richila rimila sunila et similia.*

Erchanberti commentarius in artem minorem Donati legitur in codice Monacensi 6414, olim Frisingensi 214 s. X *Incipit tractatus super Donatum Erchanberti magistri de nomine pronomine uerbo aduerbio participio coniunctione praepositione et interiectione feliciter in Jesu Christo. Inter omnes artes liberales grammaticam merito dignitatis principalitatem tenere nullus ignorat, qui aliquando studiosus in his singulis aliquam scientiam scrutando cognoscit — dicitur autem interiectio, quod partibus interiacet. solet autem locutione media interponi, cum animo soluto* (l. *subito*) *per aliquam causam ultra mensuram commoto uox fuerit emissa. euax uox intellegitur gratulantis, qui satur est.* idem commentarius legitur in alio codice Monacensi 14846 (Em. l. 6) s. XI subiecto commentario in artem maiorem, h. e. iterum de octo partibus, de voce, de littera, de syllaba, de pedibus, sic quasi is quoque eiusdem auctoris esset, *explicit editio I incipit secunda. Notandum in primis quod has partes maiores maioribus et intellectu fortioribus Donatus conscripsit — epitriti supertrini uel supertertii, eo quod super tertiam longam in aliquo loco breuis inueniatur.* in quo commentario saepius latinis exemplis iuncta sunt germanica, quorum haec pono exempla, *ut Scipio Africanus ob hoc dictus, quia rebellem semper Africam imperio Romanorum adiecit, et Carolus Saxonicus, quia Saxonicam uiriliter regno Francorum subegit. — palpo. i. cecus, qui semper palpare solet; vel fur, qui in tenebris palpatur, ut aliquid furetur; vel, ut alii, animal uolatile, quod nos thiutisce dicimus zuuiualtra. — cummi. i. genus resinae, quod thiutisce nominamus flied uel harz. — pumilio. i. homunculus uel nanus, quod dicitur thiutisce tuèrg.* sed num haec quoque ad Erchanbertum pertineant, incertum est. alius eius commentarii codex indicatus est in vetere catalogo codicum Sangallensium, Weidmann Gesch. d. Bibl. v. St. Gallen p. 395 *grammatica Adaloldi, in qua partes Donati et expositio Erchanberti super ipsas.* de scriptore autem ipso propter eius nominis frequentiam non satis constat. Erchanbertum episcopum Frisingensem fuisse scimus a. 835—853: cf. Meichelbeck hist. Frising. I 1 p. 119: ab hoc scriptum esse commentarium Donati voluit Pezius thes. anecd. I p. XXVII. de monacho Fuldensi Eckh. comm. de reb. Franc. or. II p. 157 sub a. 819 commemorato cogitavit Weidmannus l. c.

Hilderici ars grammatica in codice Casinate 229 s. IX scripta est, *Ars Hilderici magistri eruditissimi. Interrogatio: primum utique interrogandum est, unde scientia homini tradita est* — (de interiectione) *per quam animi affectum proferimus. explicit.* Hildericus autem, Pauli Diaconi discipulus, abbas Casinas per paucos dies a. 834 fuit: cf. chron. Casin. monum. Germ. IX p. 596. ipsius **Pauli Diaconi** commentarium in Donatum in codice Palatino 1746 inventum (mus. rhen. a. 1868 p. 397) indicavit Bethmannus Archiv f. ält. deutsche Geschichtk. X p. 319.

Sub finem noni saeculi omnium clarissimus artis grammaticae magister extitit Remigius Autisiodorensis, qui et scholis Autisiodori Remis Parisiis habitis et libris ad usum scholarum scriptis eam auctoritatem adeptus est, ut illius maxime discipuli et libri proximis temporibus in scholis grammaticorum regnarent. ex eius libris autem prae ceteris videtur usurpatus esse commentarius in Donatum. cuius commentarii libri manu scripti tres indicati sunt hist. lit. de la France VI p. 119. ego nomen Remigii inscriptum non vidi nisi in duobus codicibus, in Parisino suppl. 292 s. XII *Incipit exposicio Remigii super Donatum minorem* et in Bernensi 386 s. XIII, in quo maiori arti de octo partibus orationis adscriptus est commentarius Remigii hac addita subscriptione, *explicit Donatus maior cuius expositor est Remigius:* sed praeterea non solum plures libri integrum, ut videtur, Remigii commentarium omisso nomine scriptoris exhibent, ut Monac. 14763 (Em. 763) s. X vel XI et 17209 (Scheftl. 209) s. XII, sed etiam ii qui post eum Donatum exposuerunt multa ex illo in suos libros transtulerunt. eius commentarii igitur initium nunc e Parisino libro descriptum proponere sufficiat.

Incipit ars prima Donati grammatici urbis Romae. Iste titulus varie et dissimiliter invenitur in multis codicibus. in quibusdam enim ars prima (prima *om. cod.*), in aliis vero prima editio reperitur. quocirca necesse est iuxta positionem loci ut ubicumque (*f.* utrumque) exponatur. titulus enim dicitur a titane, id est a sole, quia, sicut sol illuminat mundum, ita et titulus librum, vel sicut sol illuminat quaeque obscura, sic titulus libri sequentia. idem est elenchus (telenctus *cod.*) a graeco, quod est elios. elios enim graece, sol dicitur latine.

Commentarius Remigii in Priscianum minorem, legitur in codice Parisino 7581 s. X vel XI *Remigii exposicio super Priscianum. incipit institutio Prisciani grammatici de nomine pronomine et uerbo. Forsitan quaerat aliquis cur Priscianus de declinationibus nominum pronominum uerborumque disserere uoluit* sqq. commentarii in Martianum Capellam libros manu scriptos conplures indicavit Eyssenhardtus praef. in Mart. Cap. p. XXVIIII. denique vita Persii a Remigio scripta cum parte commentarii in Persium legitur in codice Reginensi 1560 s. XI, *incipit vita Auli Flacci Persii satyrici secundum Remigium.* ex hoc Remigii commentario petitum esse videtur fragmentum, quod ex schol. in Pers. 6, 71 protulit Jahnius prol. in Pers. p. CLXII, quamquam illud quidem etiam in expositione Donati scribi potuit.

Ad idem tempus, quo Remigius vixit, fortasse etiam referenda est epitome Prisciani a Gosberto scripta, quae praemissa epistula ad amicos, quibus librum dedicavit, legitur in codice Parisino 7521 s. XII *incipit epistola Gosberti ad Parisienses Goselmum et Gualterum sibi suis (?) et anima cariores. Cum omnis eloquentiae doctrina et*

omnium liberalium studiorum disciplina latinam educaret infantiam — garrula quorundam inuidia. incipiunt capitula. Primus liber de uoce et littera — decimus de aduerbio interiectione coniunctione. incipit epithonia Prisciani quod est adbreuiatio. Philosophi diffiniunt uocem esse aerem tenuissimum ictum sqq. Gosberti nomen ex hoc codice recepit Fabricius bibl. lat. med. et inf. aet. l. VII p. 222. praeterea autem de eo nihil constat, nisi eundem esse putabimus Gosbertum, qui nono saeculo inter monachos Floriacenses studio liberalium artium clarus fuisse dicitur hist. lit. de la France V p. 276.

Ex magno numero librorum qui non additis nominibus auctorum in codicibus scripti inveniuntur unum commemorabo in codice Parisino 7560 s. XI scriptum, propterea quod eum totum ex antiquorum grammaticorum libris collectum esse scriptor in praefatione gloriatur, quamvis in ipsa arte, in qua octo partes orationis exponuntur, raro nomina auctorum quos secutus est adscribere soleat. eius igitur libri praefationem inani sane verborum copia et obscuro dicendi genere notabilem, sed ad cognoscendas rationes eorum qui nono vel decimo saeculo de grammatica arte scripserunt haud inutilem, ponam

Dilectissimo fratri et ingeniose radio litteraturae fulgenti haud secus quam ut murenulis obrizi auri materia et omnimodorum generum varietate vermiculatis perspicue micanti Sigiberto spiritalis amicitiae clienti N. indignus universalis ecclesiae matricularius in domino Iesu defecatae caritatis salutem. Non ignoro te, fili carissime, non odiorum faculis suffarsum nec mordacis vituperationis molaribus cruentatis subdolum, sed foco flagrantis caritatis conpellente et confidentia, qua non numquam prudentes, ubi in aliis aliquam ingenioli scintillam emicare conspiciunt, profundioris et penetrabilioris sagacitatis illos esse arbitrantur et non de propria conscientia exaltantur, invitante mihi, sicut scis, auctore deo ad alia properanti et iuxta modulum mediocritatis meae sanctae scripturas legis dei meditanti tale tricationum molestarum onus inposuisse, id est ut antiquam perplexae silvam densitatis grammaticorum ingrederer ad colligendum tibi diversorum optima quaeque genera pomorum et variorum odoramenta florum diffusa, quae passim dispersa per saltum grammaticorum inveniuntur, ad cotidianum scilicet tui diligentis studii pastum et odoriferam coronam ingeniosae pubertatis, et optima quaeque et necessariora quasi in unum cumulando farciens marsupium coacervata et circumcisa tibi obtulerem. scrupulosa autem sollicitudine perlustratis utrisque partibus, meae scilicet peritiae penuria et tuae, carissime, perseverantis lampabili sagacitatis instantia, fecit caritas, quod facere semper solet: relevavit quippe gravem plumbei laboris sarcinam levis devotae caritatis et spiritalis necessitudinis funis argenteus, et licet viribus inpar materiae, devotione tamen deprecantis voluntati conpar, supra dictum ingressus sum saltum grammaticorum et libentissime, venerandi sodalis honestis licet

Cod. Par. 3 sigiberheto, *ut videtur* 6 confidentiam 9 properante 17 penuriae 18 revelavit

deo, ponam brevem commentarium de scholis veterum grammaticorum e codice bibliothecae universitatis Bononiensis s. XI a Detlefseno olim descriptum et mecum communicatum, qui quamquam non ad illud tempus, de quo hac commentatione dixi, pertinet, tamen ex studiis eiusdem aetatis profectus est. verba autem haec sunt.

IN ROMA FUERUNT Donatus Priscianus Victorinus Fothicius (*l.* Euticius) Flavianus et Comminianus. In Spania Caper et Ogretius (*l.* Agretius). In Carthagine Pompeius Hisidorus Seregius tractator et Augustinus. In Sicilia Honoratus et alter Sergius (*corr.* Seregius) Maximus et Metrorius.

Scripta igitur haec esse videntur tum, cum redintegrato veterum grammaticorum studio ii qui in illis operam collocabant etiam de vita et genere eorum quaerebant et quae ea de re vel tradita acceperant vel ipsi invenerant conponebant. e quo genere maxime memorabilia sunt ea quae de Donato in commentariis recentiorum grammaticorum scripta sunt. deinde vero etiam ad ipsos recentiores vel modernos quos dicere solebant grammaticos simile studium contulerunt, ut horum quoque certas scholas constituerent. cuius rei exemplum est commentarius de schola Britannorum in codice Leidensi Voss. 8. 15 scriptus, quem edidit Bethmannus Archiv f. ältere deutsche Geschichtk. vol. X p. 333, in quo miro modo vera cum fictis mixta sunt. sed ut de Bononiensi commentario pauca dicam, vix credi potest eum qui haec scripsit antiquioris memoriae fidem secutum esse, sed partim ex indiciis ipsorum librorum, partim nulla certa auctoritate usus scholas et genera grammaticorum sic, ut fecit, descripsit. nam eos quos primo loco posuit, vel quia hi omnium nobilissimi existimabantur, urbi Romae tribuit, vel Donatum Priscianum Charisium, siquidem ad hunc Comminiani et Flaviani nomina pertinent, propterea quod magistri urbis Romae dicebantur, Romae fuisse scripsit. Priscianum porro necessario sequebatur Eutyches. Victorinum autem Romae docuisse auctore Hieronymo constabat. Caper et Agroecius cur Hispani dicantur, nullum in libris eorum indicium inest. deinde Pompeium ad Carthaginiensem scholam non inepte revocavit, quod is de Afris saepius locutus est. cui si re vera subiunxerat Isidorum, causa erroris haec esse potuit, quod eum Carthagine nova oriundum esse constabat. Seregium vel Sergium tractatorem dixit eum, cuius nomen commentario in Donatum inscriptum est, a quo diversum esse voluit alterum, qui libellum de litteris, de syllabis, de pedibus, de accentibus, de distinctione scripsit. sed cur illum Carthaginiensem, hunc Siculum dixerit, non constat. nec magis certum auctorem secutus esse videtur de reliquis tribus grammaticis, quos Siculos esse voluit, Servio Honorato, Maximo, quo nomine Maximi Victorini liber de ratione metrorum significatur, Metrorio, quo nomine inscriptus commentarius cum Victorini libro coniungi solebat.
